

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0015

0013

0019

0009

0024

(184 A) Cumque haec et plura alia Frater ille perorasset, ingressus est in domunculam monumenti Domini, et sequabantur omnes nobiles stantes ante ostium monumenti. Habebat autem nomina omnium nobilium, militiam accipere volentium, in scriptis, secundum ordinem nobilitatis, et ita etiam eis militiam contulit.

Primo ergo vocavit ad se generosum dominum Johannem comitem de Solms in interiore specum dominici monumenti, ubi est ipsa sanctissima tumba, ejusque femur militari gladio accinxit, et pedibus ejus apposuit militaria calcaria, et jussit eum genibus flexis procumbere super dominicam tumbam, ita, quod genua stabant super pavimentum, et pectus cum brachiis jacebat super tabulam tumbae. Eo autem sic procumbente dictus frater Johannes arrepto gladio, quo comes praecinctus erat, et evaginato percussit eum cum spatha super scapulas tribus vicibus, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Quo facto erexit comitem, et gladium et calcaria ab eo solvit, eumque deosculabatur, [et] cum reverentia sibi Proficiat dixit. Hoc sic militiae addicto vocavit Frater Johannes nobilem baronem, dominum meum Johannem Wernherum de Zimmern, et comiti tradidit gladium et calcaria, ut baronem in militiam percuteret, quod et fecit. Post hoc ingressus est dominus meus Heinricus de Stöffel baro, quem dominus Johannes de Zimmern baro in militem percussit. A quo dominus meus Johannes Truchses miles percussus est; qui ingressum dominum meum Ursu[m] de Hohen-Rechberg militem percussit. Et his militiae adscriptis et exclusis intraverunt alii nobiles secundum ordinem et militiae dignitatem acceperunt. In mea prima peregrinatione Frater Johannes omnes nobiles per se manu propria ad militiam percussit, quia non ibi erant aliqui excellentes alios in nobilitate, sed aequales erant, et aequalis aequalem non percutit, sicut aequalis in aequalem jus et dominium non habet. Cum autem veniunt principes, marchiones, comites, barones et nobiles, tunc primum ipse Johannes percutit principaliorem, et postea ille alium sequentem, et ita consequenter usque ad infimos nobiles, qui petunt se percuti ab illis dominis, quibus magis officiuntur, vel quorum servi sunt. Si autem sunt

0114

0514

1014

Ende

Anfang

